BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
41/D
31

Digitized by Google

AVIdηI Ez—

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONARDI DONATI VENETIARVM PRINCIPIS VITA.

Auctore

ANDREA MAVROCENO.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci ... de Vrbe
Extractam ... Illustrissimi ac
Rev.mi D.ni Ascanij Ricaldi
1663



VENETIIS, M DC XXVIII.

Apud Antonium Pinellum.

[illegible]

Digitized by Google

LEONARDI DONATI PRINCIPIS VITA,

Auctore

ANDREA MAVROCENO.

LEONARDI DONATI *Venetiarum Principis vitam, mores, reſq; pro Patria geſtas literis mandare conſtitui, tum quod in eo Viro multa pręclara atq; egregia exteterint, indigna ſanè, quæ vllo vnquam tempore ingrata obliuione premantur, tum quod eximij Senatoris imago in eo in primis enituit, quæ ſanè ſi in lucem proferatur, haud exiguam vtilitatem ciuibus afferre queat, neſcio enim quo pacto fiat, vt animi magis exemplis, rebuſq; ipſis quàm Philoſophorum dictis commoueantur & incitentur, vel quod hęc plerunq; excogitata atq; ficta appareant, vel quod cum nimis ardua, ac difficilia habeantur, homines potius deterreant, quàm alliciant, obruant, quam incendant: at ſi quis clarorum virorum dicta, factaq; intueatur, ſi partos virtute, ac recte factis ab eis honores inſpiciat, dulciſſima quadam titillatione*

excitatur, ac ſpe erigitur, neque omnino eis diſſimilem ſe futurum perſuadet, quos vel ipſe viderit, vel ab eis, qui viderint; de eorum geſtis, virtutibuſq; edoctus fuerit. Cęterum cum in Rebus publicis pręſtantiſſimi viri, vel pace, vel bello floruerint, qui nam pręſtantiores, atq; vtiliores extiterint, ſępe dubitatum fuit, namq; fines proferri, imperium dilatare, gentes ſubigere, gloriam parere, hęc belli decora ſemper habita ſunt, cum pace exortum otium animos lenire, minus ad egregia capeſcenda promptos efficere conſueuerit; verum contra, ſi quis reputet, pace Ciuitates inſtitui, leges condi, mores componi, Ciues ad felicitatem dirigi inueniet; quæ enim à Romulo imperij extructi primordia, niſi à Numa Pompilio pietate, & æquitate aucta, ac firmata, & corroborata fuiſſent? & ſi vero plurimum ijs debeamus, qui pro Patria augenda, & amplificanda fortia pectora periculis, morte ſpreta, obiecere, multi tamen ex eorum numero, vel cęca temeritate ducti, vel obluctante fortuna proſtrati, ingentes Ciuitatibus ruinas intulere, qui verò ciuili virtute excelluere ſumma æquabilitate legum vinculis conſtrictos ciues tenuere, paciſq; artibus haud exiguis incrementis Patriam extulere, beatoſq; incolas effecere. In Veneta ſane Republica quamplures vtriuſq; ſortis recenſere ſemper licuit, qui vel armis, vel toga pręclaram ſuimet famam apud poſteros reliquere, ſed pacis artibus pręcipuè auctas, exaggerataſq; fortunas cum publicas, tum priuatas, conſilioq; pręter cęteras gentes

Venetos

Venetos viguiſſe reperias, in horum numero merito hac tempeſtate palmam tuliſſe LEONARDVS DONATVS *viſus eſt, qui cum in Republica adminiſtranda ea pręcipue tempora nactus eſſet, quibus altiſſima pace fruens cum Chriſtianis, Barbariſq; Regibus amicitiam colebat, in ea retinenda, conſeruanda atque pacis ornamentis, belliq; ſubſidijs Repub. confirmanda totus fuit. Ex Clariſſima Donatorum familia Leonardus progenitus eſt, in qua ſemper, excellentes viri extitere, Gentis profectò gloria admouere ſtimulos generoſis pectoribus, inſitamq; animi virtutem promouere ſolet, neque enim dubium eſt, vt in ſtirpium atq; animantium, ita in hominum genere non vlla virtutis initia in ſeminibus vigere, quæ ſi cultu atque educatione alantur, & foueantur, pulcherrimos, atq; vberrimos fructus pariant, non enim, ſtoicis ſatis probandi videntur, qui nobilitatem ex virtute tantum pendere ſunt arbitrati: ſit ſanè virtus baſis nobilitatis; multos namq; videmus, qui ignotis parentibus orti, nullo maiorum ſplendore commendati, terrę veluti filij, labore, & induſtria per virtutis gradum viam ſibi ad ingentem gloriam munierunt, at ij noui homines nullis ſuffulti maiorum ſtemmatibus, nullis imaginibus conſpicui fundamenta potius poſteris nobilitatis iecere, quàm ipſi nobiles dici potuerint: melius igitur, vt ego quidem arbitror Peripatetici, qui virtutem generis nobilitatem eſſe voluerunt, quod egregie Lyricus atque eleganter expreſſit.*

Fortes

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces,
Progenerant Aquilæ columbam:
Doctrina ſed Vim promouet inſitam,
Rectiq; cultus pectora roborant,
Vtcumq; defecerę mores,
Dedecorant bene nata culpę.

Ex perilluſtri igitur familia exortus LEONARDVS DONATVS *patrem Ioannem Baptiſtam habuit ciuem induſtrium, in filiorum educatione ſolertem, quiq; mercaturę negotijs rem ſuam familiarem haud parum auxit, mercatura non illa quidem minuta ac tenui, ſed peramplis in Oriente, ac pręcipuè in Syria, Ægyptoq; commercijs; naues enim proprio ęre extructas ſingulis annis in eas oras mittere conſueuerat, quibus artibus publicę, priuatęq; opes auctę, fortunę Venetorum haud parum excreuere, ciues longiſſimis itineribus, variás, remotaſq; prouincias proculq; à nobis diſſitas terras peragrantes, inde prudentiam, ac maritimarum rerum vſum comparauere. Nullos enim ante Venetos homines inuenias, qui tantum maris, terręq; obiuerint; In Indiam penetrarunt; Perſidem, ſubiectaſq; Orientis oras perluſtrarunt, ad Septentrionem Tartariam adiere, multaq; ſcriptis conſignarunt, quæ cum olim à quibuſdam potius fabulis ſimilia, quam veritati conſentanea viderentur, poſtmodum à noſtrę ætatis hominibus veriſſima, atq; certiſſima*

tiſſima eſſe compertum fuit, vt hodie Marci Poli, Cadamuſti, Contarinorum, Barbarorum nauigationes in omnium manibus verſentur ita namq; ſupra hanc ætatem Venetorum nauigatio quaqua verſum in Orientem, Occidentem, Septentrionem, ac Meridiem ſeſe extenderat, vt viginti quatuor maioribus triremibus maria omnia metirentur, infinitamq; omnium rerum copiam in Vrbem conueherent; quæ cum latiſſime diffunderentur, incredibiles diuitias peperere: Verum Ioannes Baptiſta Leonardi pater cum mercaturę negotijs à Republica minime auerteretur, pręcipuos in ea honores eſt conſequutus, Decemuirali enim dignitate, quæ ſuprema habetur potitus eſt. Cęterum Leonardus ex hac familia atq; hiſce parentibus Anno MDXXXVI. Idibus Februarij ortus. Domeſticę educationi admirabilia quædam adhuc puer futurę virtutis ſigna adiungebat, nam à ludis atq; ab ijs alienus, quibus puerorum animi oblectari ſolent, neſcio quid graue, ac ſerium pręſeferebat in pręclarum aliquando ingenſq; erupturum; ita enim natura comparatum eſt, vt, quemadmodum pręnuncijs quibuſdam, ac veluti preludijs anni tempora, tempeſtates, ſerenitatemq; dignoſcere poſſumus, ita de ijs, qui in magnos viros euaſuri ſunt, plerunque haud dubijs argumentis vaticinari contingat, quemadmodum de Scipionibus, Catone, alijſq; memorię proditum eſt; quæ ſanè in Leonardo minime irrita fuere, nam cum domeſtico cultu, atque exemplis, religione, pietate, aliarumq; virtutum rudimentis tenera ætas infor-

maretur,

maretur, incredibile dictu eſt, quantam in omnibus futurę amplitudinis opinionem concitaret, itaque cum ex ephebis exceſſiſſet Bononię, ac Patauij literis operam dedit, magnoſq; breui in eis, quæ ad humaniores muſas pertinent, progreſſus edidit, pręcipue verò egregius iuuenis iam ad capeſcendam acriter Rempublicam aſpirans in morali Philoſophia ciuilibuſq; ſtudijs totus erat, Hiſtoricos, tum priſcos, tum recentiores euoluere, Oratores Gręcos, Latinoſque terere, quæ ad Reipublicę regimen ſpectarent, ſedulo inquirere Regum ac Principum ditiones, vectigalia, vires, cum terreſtres, tum maritimas perſcrutari, quo effectum eſt, vt lectioni, ac meditationi vſum quoq; rerum, tota perluſtrata Italia alijſq; Europę Prouincijs peragratis, adiungeret: His inſtructus, cum annum ætatis quintum ac vigeſimum, qui legitimus ad Magiſtratuum petitionem habetur, expleuiſſet, ad Rempublicam acceſſit atq; facile in quinq; virum numerum, qui rem maritimam procurant (à noſtris ordinum ſapientes vocantur) ſummo Senatus conſenſu cooptatus eſt, quo in munere obeundo omnium expectationem, non modo æquauit, verum longè etiam ſuperauit: cum in Senatu ſententiam aliquando dixiſſet, non fucato, ac iuuenili, ſed graui, ac vere ſenatorio dicendi genere vſus eſt, quod enim in omni vita retinuit, tum quoq; dum ad magnas res pertractandas adoleſceret, ætas ſeruauit, vt in primis argumentorum, rationumq; pondere, non verborum lenocinijs, comptaq; ore veluti cincinnis, & calamiſtris exornata

nata

nata oratione audientium animis illaberetur: licet verò de ijs tantum, quæ ad rem maritimam ſpectant, quinque viri conſulant, attamen Leonardus, vt erat ſumma perdiſcendi cupiditate incenſus, omnia diligentiſſimè obſeruabat, notabat, & in commentaria redigebat, vt non vnam tantum Reipublicę partem, ſed totum illius corpus capeſceret, in eo munere pręter alios, duos celeberrimos noſtra ætate viros, collegas habuit, Marinum Grimanum, atque Auguſtinum Valerium, quorum ille Principatum eſt adeptus; Hic verò cum à Republica ad Eccleſiaſtica munera vocatus eſſet, diuque Veronenſem Eccleſiam ſingulari virtute rexiſſet, tandem à Gregorio XIII. Pont. Max. in ampliſſimum Cardinalium Collegium anno 1583. eſt cooptatus, ac parum abfuit, quin ad Pontificatus faſtigium fuerit euectus: pręſtantiſſimorum collegarum ſtudijs magis, magiſque ad virtutem Donatus rapiebatur breuique gradum ſibi ad ſenatoriam dignitatem fecit. Ædilis ſummo plauſu maioribus comitijs factus (quod munus noſtri Communis Prouiſores vocitant) ſuffragiumque in Senatu ferunt, cum eo in munere obeundo operam daret, vt illius virtus ad maiorem Reipublicę vtilitatem ſe ſe explicaret, Legatus ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem eſt creatus difficillimo ſanè tempore, quo Selymus Turcarum Imperator Cypri Regni potiundi immani cupiditate captus bellum Venetis indixerat. Igitur mandatis à Senatu acceptis in Hiſpaniam proficiſcitur; Erat tunc Philippus ad Mauro-

rum tumultus compeſcendos, qui inſito in Hiſpanam gentem odio plane ab ipſo defecerant, in Bæticam profectus itaque Donatus Cordubam nulla iniecta mora ſe contulit ad Regem adit, de bello à Selymo Reipublicę illato docet, ampliſſimum Cypri Regnum ab immani Tyranno contra pacem nuper ſancitam, ac iureiurando confirmatam peti, Senatum, vt Imperium, dignitatemque Reipublicæ tueatur, nihil prętermiſſurum, Claſſem inſtruxiſſe, militum magnum numerum coegiſſe ſupplementa in Cyprum aliaſque arces, maritimaſque oras miſiſſe, verum mari terraque prępotenti hoſti, niſi reliqui Chriſtiani principes, quorum etiam de cauſa agitur, opem ferant, diu obſiſtere non poſſe; non tam aduerſus Venetos Selymum bellum moliri, quam in omnes Chriſtianorum Principum ditiones impetum facere decreuiſſe, quod ſibi e ſententia ceſſurum eſſe arbitretur, ſi firmiſſima totius Chriſtianæ Reipublicæ propugnacula, Cyprum nempe, & Cretam Venetis adimeret, quid enim putandum eſt tunc impedimento fore, quin libere toto mari debacchetur? cauſam eiuſmodi eſſe, vt cunctos Principes, veluti ad commune incendium reſtinguendum incitare debeat, pręcipuam tantæ rei ſpem, ac ſubſidium in Philippo ſitum eſſe, quem Deus Opt. Max. Regnorum amplitudine cumulauerit, cui terreſtres, maritimaſque vires tribuerit, illumque potiſſimum delegerit, quem communi hoſti obijceret; obnixe Senatum petere, flagitare, vt in Chriſtianæ Reipublicæ bonum intendat, ſubſidia Reipublicæ mittat, quibus com-

muni

muni virtute, ac fortitudine conatus Turcarum frangi atque euerti poſſit, eo ſane, & immortalem gloriam comparaturum, & Venetos ſibi perpetuò deuincturum. Ad ea Philippus non tam ob bellum iniuſte à Selymo Reipublicæ illatum dolere, quàm lætari, ſibi oblatam egregiam de Chriſtiana Repub. deque Venetis ipſis bene merendi facultatem, nihil magis cupere, quàm vt infenſi Chriſtiani nominis hoſtis obtundatur audacia, reprimatur faſtus; itaque triremes quinquaginta Andrea Aurea Pręfecto, Pontificis auſpicijs, qui Marcum Antonium Columnam Imperatorem creauerat, Reipublicæ Claſſi adiungi, iuſſurum, neque quidquam, quod in rem communem ſit, omiſſurum. Deinde de ineundo fędere inter Pium Pontificem Max. Hiſpaniarum Regem, ac Rempublicam Venetam agi cęptum, cuius firmiſſima fundamenta à Donato in Hiſpania iacta fuere: ſed cum res eiuſmodi eſſet, vt ob itinerum longitudinem cito confici non poſſet, negotium omne Romę agitari placuit; interea eo anno, qui fuit 1570. *ingentibus Venetorum apparatibus, ac ſumptibus, Pontificis, ac Regis auxilijs euentus minime reſpondere. Selymus trecentarum Nauium Claſſe in Cyprum miſſa, Leucoſiam pręcipuam Regni mediterraneam arcem obſeſſam, licet ſuorum ingenti numero amiſſo in poteſtatem redigit, agris vaſtatis, multis mortalibus in ſeruitutem redactis, ac licet poſtero anno, veris initio fęderi icti ſumma ſpe cuncti niterentur, fore vt illatæ ab hoſtibus clades ſarcirentur, attamen maiori conatu Tamaſſum (Fa-*

maguſtam vulgo) maritimam vrbem Turcę aggreſſi acerrime oppugnare, noſtris fortiter obſiſtentibus, egregieque impetum ſuſtinentibus cępere, quam cum ad extremum rerum omnium, pręcipueque tormentarij pulueris inopiam redegiſſent, eamque ad ſupremum vſque ſpiritum Marcus Antonius Bragadenus tutatus eßet, ſpe omni illius tuendæ amiſſa dedere x v i j. Kal. Auguſti coactus fuit, quo ferè tempore cum fęderatæ Claſſes coiuiſſent celeberrimi Regni occaſus vitari non potuit: inſolenſque hoſtis toto mari prędas agere, litora vaſtare, oppida incendere, incolas captiuos facere: ſed tandem tot calamitatum miſertus Deus, Nonis Octobris, cum Autumnus iam ſeneſceret, ac potius de ſubducendis claſſibus, quam de ineundo cum hoſte certamine agendum videretur, egregiam illam de Turcis victoriam dedit, qua ad Echinadas cum magna eorum internecione, partim depreſſis, partim captis triremibus, claſſis pręfectis interfectis, ingenti pręda aucta, fractis, atque attritis maritimis Turcarum viribus, fęderati potiti ſunt, quæ omnia fuſius in Hiſtorijs narrauimus; Victoriæ nuntius Venetias perlatus, cum omnes Ciuitatis ordines incredibili lętitia affeciſſet, ſtatim à Senatu per diſpoſitos equos, citatis itineribus in Hiſpaniam mißus eſt, iußuſque veredarius, nullà ea de re cum aliquo verba facere, ſed ſtatim ad legatum, qui tunc Madriti erat cum publicis literis adire, vt tantę rei nuntius ad Regem illibatus perueniret: quo accepto Donatus ſtatim Philippum conuenit, de ingenti adepta Victoria

ctoria gratulatur, ille tam lęto, atque inopinato ſucceſſu mirifico lętitię ſenſu commotus legatum complectitur, gratias agit, gaudia miſcet, precioſo adamante ingentis precij donatum dimittit, ſupplicationes, vt D.O.M. gratiæ agantur, haberi iubet, quibus cum ipſe intereſſet, reliquos Principum legatos pręcedere, atque honoris gratia à ſuo latere minime diſcedere Donatum voluit. Cęterum cum eximiæ victoriæ euentu cuncti ad pręclara quæque operanda excitarentur, tot conatibus, ſtudijs, impenſis nihil operę precij actum eſt: Bello in Belgio exorto, ne ſubſidia, vti conuentum fuerat, mitterent Hiſpani, moras nectere, promiſſa non pręſtare, cumq; Veris initio ex fęderis pręſcripto iungi claſſes oportuiſſet, vſque in Autumnum dilata res eſt; tandem Gilandradio pręfecto parua triremium manu miſſa vt ingens iam ab obtundendos communis hoſtis impetus ardor refrixiſſe videretur; itaque ad Naupactum ac Pylum verſus de hoſte triumphandi, delendęq; penitus Selymi claſſis certiſſimę occaſiones amiſſæ ſunt, inde cuncta in peius ruere, totum ferè belli onus in Venetos incumbere, in immenſum ſumptus augeri, priuatas publicaſque opes penitus exhauriri, vt nihil boni amplius expectandum videretur; quo effectum eſt, vt ne pręcipites in ſumma diſcrimina Rempubl. conijcerent, de pace ineunda Veneti cogitarint, atq; ſancita cum Selymo concordia, bello finem impoſuerint; quo tempore Donatus ab Hiſpanica legatione in Patriam reuerſus eſt. Verum cum Byzantio certis rumoribus, ac

Marci

Marci Antonij Barbari legati literis afferretur, ſtudium omne atque operam in triremibus, alijſque nauigijs extruendis, ac ſarciendis Selymum adhibere, atque ea æſtate Scinane Baßa Prefecto validiorem numero, ac milite Helleſponto Claſſem emiſſurum, nondum pacis tabulis obſignatis, ingens cuſpicio in patrum animis exoriebatur, ne belli fluctibus iterum Reſpublica obijcienda eſſet, itaque denuo vires maritimas reparare, denuo militum delectum habere, iterum ſe ad Turcarum impetum excipiendum fortiter obarmare cęperunt; Erat tunc Donatus in Preconſultorum continentis numero, curaque militum delectus ei tributa fuerat (quod munus ſcripturam vocamus) mirum, quàm ſedulam, exactoq; in ſummi momenti negotio prudentiam, ſolertiamque adhibuerit, quantaque celeritate vndique milites prefectoſq; euocarit, ſed, cum Andreas Baduarius extra ordinem pro concordia ineunda ad Selymum legatus miſſus eſſet, vna cum Barbaro pacem ſanciuit; exinde per multos annos bello immunis Reſpublica fuit, patrumque ſtudia ad augēdam, ornandamque Ciuitatem, nauigationes vel inſtaurandas, vel inſtituendas, vectigalia, redituſque augendos, pacis ſtudijs Rempublicam florentiſſimam efficiendam conuerſa ſunt: ſi quæ controuerſiæ in finitimis ſuboriebantur, conſilio potius, quàm vi dirimere, vt nautas peritos decet, ventis, tempeſtatique obſequi, velificationem mutare, tranquillitatis, modo ea cum dignitate retineri poßet, ſolicitos eſſe: quibus artibus Donatus ita excelluit,

celluit, vt inter prudentiſſimos Senatores, qui vel ſuperioribus ætatibus floruerint, vel in poſterum exorituri ſint, palmam tuliſſe proculdubio videatur; ingenij enim admirabili ſagacitate, quam magnarum rerum vſu comparauerat, initia non modo, ſed progreſſus, exitus negotiorum optime pręuidebat, ſepiuſque hac parę mia vtebatur, quid quid agis, prudenter agas, reſpice finem. Porrò pace firmata difficili, periculoſoq; bello defuncta reſpirare Ciuitas cępit, lętiorque, & iucundior mortalium frequentia refertę vrbis aſpectus ſequenti anno 1574. aduentu Henrici III. Sarmatiæ & Gallię Regis apparuit; Carolo enim fratre mortuo, è Sarmatia Regno, quod illi Procerum eius gentis ſuffragijs delatum fuerat, in Galliam rediturus, à Senatu inuitatus Venetias accedere decreuit, cumque magnificentiſſime excipere omnique officij genere proſequi Regem multis nominibus Reipublicæ amicum Senatus decreuiſſet, vt cuncta ex ordine procederent eius rei cura Leonardo Donato, ac Io: Franciſco Mauroceno, qui poſtea in Eccleſia etiam clarus ad Cardinalitiam dignitatem euectus fuit, mãdata eſt, in qua ita concine illius elegantia, atque prudentia enituit, vt inde egregio apparatui haud parum ſplendoris acceſſerit; nihil enim hac ætate illuſtrius, ac prę ſtantius Ciuitas vidit, dum ad Vrbem ex tota Italia Principibus confluentibus, publica amplitudo, ac dignitas ſe ſe latiſſime ad ſtuporem vſque explicaret, itaque cum in dies magis, magiſque Leonardi prudentiam, ac ad magnas res

pertra-

pertractandas ingenium Senatus experiretur, in Concilij ſapientum numerum illum ſummo conſenſu retulit, quæ ſanè dignitas, vt in Republica precipua habetur, ita ijs tribui ſolet, qui rerum vſui ætatem adiunxerint; ſed Donati annos, eximia de illius virtute opinio ſupergreſſa eſt, vix enim quadrageſimum exceſſerat, cum in ampliſſimum ordinem cooptatus, LXXVI. ſupra milleſimum, & quinquageſimum tunc vertebatur, quo tempore renunciato Rege Romanorum Rodulpho Maximiliani Cęſaris filio, legatus ad eum cum Ioanne Grito delectus eſt: ſed exempto antequam in viam ſe daret, è viuis Maximiliano, cum ex Senatus Conſulto bini eſſent decernendi, qui Rodulphum adirent cum patris obitum dolentes, tum illi gratulantes Imperium, iterum delectus idem ipſe Donatus vna cum Ioanne Michaelio ſpectatæ experientiæ Senatore, & magnis in Rempublicam meritis. Erat tunc Ciuitas graui peſtilentiæ oppreſſa morbo, cuius ſemina ſuperiore anno, ex Tridento in Vrbem irrepſerant, quæ licet magiſtratuum multis adhibitis remedijs euulſa, atq; prorſus extincta viderentur, vere nouo ſe ſe extulerant, ingentique terrore, ac perturbatione cunctos repleuerant, funeribus exhauſtæ domus, paſſim cadaueribus referta Ciuitas, fuga multi ſalutem conſulere, extra vrbem ęgri exportari, omnia ſqualoris, luctus, ac ſolitudinis plena, humaniſque deſperatis auxilijs, nulla, niſi in Diuini Numinis ope ſpes ſupereſſe. Cum Senatus ieiunijs, ſupplicationibus indictis. Deo Opt. Max. Redemptori Baſilicam

eam ſe ædificaturum, ſingulis annis religioſe inuiſendam, vouit. Voto ab Aloyſio Mocenico Principe in Aurea Diui Marci Baſilica VI. Idus Septembris, Natiuitatis Deiparę Virginis ſacro feſto die, toto Senatu comitante emiſſo; poſtero adeo vis ſęuientis morbi deferbuit, vt pene deiecta ac proſtrata videretur, nam cum in tabulas à libitinarijs ducenti ferè ſingulis diebus mortui referrentur; ea die quatuor tantum relati ſunt; Ciuitate, verò peſtilentia liberata cum de voto ſoluendo, temploque ædificando in Senatu varijs ſententijs diſceptaretur Donati vicit opinio, vt in ea Vrbis parte, qua ſinu arcuato inſula (quam Iudecam vocamus) efficitur coemptis aliquot ædificijs excitaretur, religioſorum verò, qui Capuccini nuncupantur, maximaq; religionis, & ſanctitatis opinione apud omnes ſunt, cuſtodię traderetur, breuique in eam molem, quam cernimus, Baſilica excreuit, vt inter pręcipuas Ciuitatis Eccleſias, vel ſtructuræ magnificentia, vel Diuino cultu adnumerari merito poſſit. Cęterum Donati virtus non diù domi ſe continuit, nam Romana illi ad Gregorium XIII. ſummum Pontificem Legatio attributa eſt, in qua legatione grauiſſima totius Reipublicę Chriſtianę negotia pertractantur, in ea mirum in modum pręſtantia Donati luxit inquè ſummo precio à cunctis, ac pręcipuè ab ampliſſimo Cardinalium Collegio eſt habita, pręſertim verò in Aquilegenſi controuerſia, quæ toto ferè Gregorij Pontificatu Senatum exercuit, in conſpectum omnium ſe dedit, ita enim Reipublicę cauſam,

C *digni-*

dignitatem ſuſtinuit, ita cum Pontifice egit vt nonnunquam ſubiratum flecteret, aliquando diſceptantem rationibus peruinceret, quo effectum eſt, vt vario æſtu agitata res, tandem Gregorij obitu recumberet, dum Xyſtus, qui Gregorio ſucceſſit maioribus rebus intentus, alio ſua conſilia cogitationeſque flecteret, in ea Legatione in grauiſſimum morbum Donatus incidit, qui in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus penè vitam amiſit, cum vero quadam die à ſcriba, qui cum eo Romam profectus fuerat, literę in Senatu recitarentur, quibus propè de illius vita conclamatum ſignificabat, adeo ingens à Patribus vis doloris erupit, vt aula omnis ſingultibus, ac gemitibus perſonaret; ſed cum Diuino nutu, qui eum ad maiora pro Patria obeunda ſeruabat, vis morbi aliquantiſper iminui cępiſſet, tandem euaſit, atq; in Patriam redijt, pauloque poſt Brixiæ Prętor creatus ſumma integritate, & innocentia grauiſſimum Magiſtratum obiuit. Mortuo Gregorio XIII. Xyſtus Quintus Pontifex ſuffectus fuit, quo tempore Brixienſi Prętura perfunctus Leonardus inter quatuor Oratores, qui gratulationis cauſa Romam mitti ſolent, eſt lectus; cum verò in Cardinalium Collegio, ex veteri inſtituto Oratorum iuniori orationis munus ſpectet, Donatus, qui Collegis, ætate inferior erat, id ita pręſtitit, vt Latinę eloquentię eximiam in Vrbe, quæ doctiſſimis in omni literarum genere viris referta eſt, laudem tulerit, Pontificemque ſuopte ingenio in Venetos propenſum ita affecerit, vt ab eo ſummę beneuolentiæ in

Rem-

Digitized by Google

Rempublicam viciſſimque ab ea in Pontificem paria argumenta proficiſcerentur. Magnorum bellorum motibus tunc Gallia concutiebatur, qui Gregorij tempore exorti ita ſuccreuerant, vt proprijs non modo, ſed externis quoque armis Auguſtiſſimum Regnum impeteretur, idque eo grauius atque acerbius erat, quod religione plebeiorum occupatis mentibus nouarum rerum cupidi, atque ambitioſi homines ſibi aditum ad arma capienda aperuerant ab ijs potiſſimum incitati, qui Regum virtutis, atque gloriæ inuidi eorum diſſidijs, ac ruinis in maiorem amplitudinem aſſurgere ac proferre imperium poſſe arbitrabantur: hinc Religionis nomine ictum fędus, quo Regia poteſtas imminuta breui caſura videbatur. Henricus III. qui tunc rerum potiebatur delectum militum habere, externas copias cogere, omnia moliri, vt ingruentibus periculis obſiſteret, cum tandem conuentu Bleſis indicto, ad quem Galliæ Proceres euocauerat Guiſium Ducem, fratremq; ipſius Cardinalem nil eiuſmodi ſuſpicantes improuiſo interfici iuſſit, qua ex re aucti tumultus acrius incendium excitarunt, nam Xyſtus Pontifex ob lęſam ſummę dignitatis Cardinalitiæ auctoritatem Henricum communione fidelium amouit dirum in illum anathematis ſpiculum intorſit. Lutetiæ Ciuitas commota palam defecit, Rex Henrico Borbonio Nauarrę Regi, quem Pontificatus initio Xyſtus extra Eccleſiam eſſe pronunciauerat, adhęſit, Pariſienſes obſidione preſſos vincere ac domare inſtituit, ſed in medio rerum curſu inaudito Clementis Dominicani

Digitized by Google

Ordinis facinore eſt interfectus, atque antequam è vita migraret Henricum Nauarræ Regem proximiori loco ſibi conſanguinitate coniunctum, cui lege ſalica, quæ apud Gallos ſacroſancta, Regnum debebatur ſucceſſorem pronunciauit. His de rebus à Ioanne Mocenico, qui tunc apud Henricum Reipublicę nomine Legatus erat, Senatus certior factus ſtatim per literas, perq; Legatum ipſum Henrico IIII. Nauarræ Regi gratulatur Regijſq; de more titulis illum exornat. His cognitis vehementer Xyſtus eſt commotus, quod eum Regem, quem ipſe à cœtu fidelium ſeiunxerat, quique hæretica labe infectus eſſet, Senatus Gallię Regem conſalutaſſet, pręproperè nimium Patres feciſſe, neminem eſſe, qui Nauareum vti Regem agnouerit, id à pietate, ac Religione Reipublicæ alienum, atque adeo exarſit, vt Hieronymum Mattheutium Epidauri Antiſtitem apud Venetos Legatum Romam auocarit. Patres, qui ſumma Prudentia iamdudum Henrici virtutem, ac felicitatem nouerant, neque aliam in priſtinum ſplendorem ampliſſimi Regni redigendi viam eſſe arbitrabantur, quàm ſub tanto Rege, ac Principe coaleſceret, primi inter Chriſtianos Principes ei Regios titulos attribuerant, leniendi Xyſti animum, atq; aliqua honoris ſignificatione demulcendum rati, Leonardum Donatum, qui id officij pręſtaret, Legatum ad Xyſtum delegere, ac licet Albertus Baduarius ordinarius Orator, ſummo ingenio, & eloquentia vir, vt Mattheutium, ne inſpectum quidem per diſpoſitos equos Venetias reuerti iuberet,

ret,

ret, à Pontifice impetraſſet, attamen Romam Donatus perrexit, quæ Senatum, vt Henricum Galliæ Regem ſalutaret, impulerant, grauiter expoſuit, illum ab Henrico III. letho propinquo Regem vocatum, Valeſiorum ſtemmate extincto; ad eum ex lege tanquam hęredem Regnum ipſum ſpectare, bellica fortitudine, prudentia, aliiſque virtutibus, ac dotibus, Religione excepta, eximium, ſperandum benignitate, manſuetudine, dexteritate ad verum Dei cultum excitari, atq; aggregari breui tempore poſſe, cum pręſertim ipſe gubernaculis Regni ſuſceptis, nihil de Catholica Religione, immutari, Sacerdotes in ſuorum bonorum poſſeſſione retineri, atque apud omnes in honore haberi iuſſiſſet: ſi doceatur (quod ille vehementer cuperet) veritate agnita, Catholicam Religionem amplexurum, nulla ratione nobiliſſimum Regnum retineri, aut conſeruari poſſe, niſi vnius imperio, atque virtute nitatur, eiuſmodi pręter Henricum eſſe neminem, in hunc Galliæ leges conſentire, hunc à defuncto Henrico nuncupatum: an verò aliorum inſidiis peſſundari atque excindi Gallias ſinendum? non Religionis ac pietatis ſtudio, ſed dominandi cupiditate, atque libidine ingens hoc incendium excitatum: non Diuinarum rerum cauſa, ſed Imperij proferendi arma in Galliam inuecta; quid verò Reipublicę Chriſtianæ tranquillitati atq; aliorum Principum quieti aduerſum magis, quam, vt pręſtantiſſimum Regnum, collabatur, atque intereat? quæ ſanè omnia ſi Pontifex in animum admittere voluerit,

minime

[library stamp]

minime perperam à Republica factum intelliget, ſi quantum in ipſa ſit, opitulari prçcipuè Chriſtiani orbis ruinam minanti parti voluerit, id certo autumans fore, vt inde Catholicę Religioni haud exigua breui acceſſio fiat; Hæc atq; alia Xyſto Donatus exponebat, quæ ſanè tantum apud illum potuere, vt Senatus conſilia, non modo magnifecerit, ſed quodam veluti ſomno excitatus ſerius de communi rerum ſtatu cogitare cęperit, neque ita, vti antea facile Hiſpanis aures pręberet, quo fiebat, vt illi acrius inſtarent, ingentem pecunię vim militeſq; à Xyſto depoſcerent, ac ni palam ſe fęderi adiungeret, obteſtaturos publice minarentur, quibus rebus adeo Pontificis animus commouebatur vt irarum æſtu nonnunquam efferueſceret tandemque intimo cruciatu atque angore animi affectus interiret, Cui poſtea Ioannes Baptiſta Caſtaneus Vrbani VII. nomine ſuſcepto ſuffectus cum cõmuni omnium opinione difficillimis illis temporibus datus crederetur in Pontificatus Apice tredecim elapſis diebus ereptus eſt. Ad quem electi cum Legati fuiſſent Leonardus ipſe Donatus, Iacobus Foſcarenus, Zacharias Contarenus, Marinus Grimanus, ijdem ad Gregorium XIIII. qui prius Nicolaus Sfondratus Vrbano ſuffectum miſſi ſunt. Hic multis nominibus Philippo Hiſpanię Regi obſtrictus, adeo in Gallicorum fędus, quod ſanctum appellabant incubuit, vt Herculem Sfondratum nepotem Eccleſiaſtici exercitus Imperatorem renunciatum cum copijs in Galliam mitteret, ingenteſq; à Xyſto coaceruatę pecunię vim

abſu-

abſumeret. quo tempore, quod quatuordecim Menſium fuit, Galliæ Regnum vario bellorum æſtu agitatum, adeo partibus ſęuientibus iactabatur, vt niſi Henrici virtute, ac fortitudine fultum, breui ſupremum caſum ſubiturum cuncti arbitrarentur. At Donatus Romana Legatione egregiè perfunctus paulo poſt maioribus comitijs Procuratoria dignitate Principatui proxima frequentiſſimis ſuffragijs quinto, ac quinquageſimo ætatis anno, quod per raro accedit, ornatus eſt, cum plerumque id munus multo maioribus natu tribui conſueuerit; Sed in Donato virtus, atq; in Patriã merita inuidiam ſupergreſſa, ciuiũ animos ita conciliauerant, vt hinc promerita, inde honores in eo cohoneſtãdo certare viderentur: nam Gregorio XIV. ex humanis ſublato, Io: Antonius Fachinettus ſucceſſit ab Innocentij IX. nomine Pontificatum auſpicatus: huic delecti qui ſumum in terris Magiſtratum gratularentur Leonardus Donatus, Iacobus Foſcarenus, Marinus Grimanus, & Albertus Baduarius. Pontifici trimeſtri ſubrogatus cum Hippolytus Aldobrandinus, qui Clemens VIII. fuit nominatus Pontificatum inijſſet, atque inter quatuor Legatos, qui gratulationis cauſa Romam deſignati ſunt, Donatus lectus eſſet, vix officijs Clementi Reipublicę perſolutis in Patriam redierat, cum extra ordinem Legatus ad eundem miſſus. Iam veteres piratarum moleſtiæ, qui Liburniæ loca incolunt, atque Uſcochi vocantur, paucis inicijs exortę, ita inualuerant, vt minutis non contenti latrocinijs, crebriores in Reipu-

blicæ

blicæ dictionibus direptiones facerent, pecora, iumenta abigerent, bona diriperent, mortales varijs modis affligerent, maria infeſta redderent, negotiatores, qui Venetias commeabant, cum mercimonijs interciperent, ac nonnunquam occiderent, in Hiſtriam tranſgreſſi haud mediocria damna inferrent; harum rerum indignitate patres permoti, inueteratumque morbum latius ſerpere ne ſinerent, acrioribus remedijs vtendum rati, obſidendo fame premere, perſequendo, ac quocumque ſe reciperent, inuadendo, frangere, atque obterere decreuerunt, in id milites cogunt, triremes, atque alia nauigia inſtruunt, Petro Comiti militum Prçfecto, vt quantum poſſit externorum militum cogat, inuingunt: is ſtatim in Picenum, vbi multum amicitijs, ac clientelis poterat, vt pote Montealboto oppido ortus, proficiſcitur, cumquè circiter quadringentos homines Marco Sciarra ductore comparaſſet appulſis ad Piceni litora triremibus conſcendere fecit; Erat Sciarra extorum princeps, atque Pontificijs dictionibus, vna cum ſocijs aſſeclisque ſuis grauia damna intulerat, quapropter Clemens cum omnino delere illum ſtatuiſſet, magnam militum manum, quæ perſequeretur, ac profligaret, miſerat; certior verò factus Sciarram Venetis triremibus vna cum extorribus exceptum vehementer excanduit, magnam ſibi iniuriam inferri ratus, quod homines nefarios, infinitiſque propè ſceleribus contaminatos, de quibus iam iam debitas pçnas ſumpturus eſſet, à noſtris excepti certiſſimęque neci ſubtracti fuiſſent;

quare

quare cum Senatu acerbe conqueritur, ſe nihil tale commeritum, inſigni contumelia affectum, peſſimum genus hominum, quod penitus excindere decreuerat, ſinu Venetę Reipublicæ receptos imminenti eorum ceruici gladio ereptos; Senatus, qui eam colluuionem hominum ſtipendijs Venetis triremibus abduci non iuſſerat, Pontifici reſpondet ſe eorum, quæ Petrus Comes Præfectus effecerit, inſcium eſſe, non id Senatus iuſſu factum, nullo vnquam aſſenſu de ſua erga ipſum, ſanctiſſimamq; ſedem obſeruantia quidquam imminutum iri paſſurum, nil tantæ cauſæ eſſe, cur ſe Clemens tantopere exagitet, cum nullo periculo à ſuis ditionibus peſtem illam momento abripi viderit. Verum Clemens minime aquieſcere, Sciarram petere, milites dimitti, pęnas de Petro Comite exigi flagitare, atquè adeo impetu ferebatur, vt illatam quam ſibi iniuriam putaret, niſi ſarcitam videret, nunquam ſe quieturum palam diceret, atq; aperte ſignificaret; Id cum Patres animaduerterent, ne Clementis animum à Republica alienarent, Leonardum Donatum Marcium Procuratorem extra ordinem Legatum deligunt, qui Romam proficiſcatur; eius virtute atq; eloquentia permolliri Pontificis mentem poſſe rati, profectus cum Clemente egit; Reipublicæ cauſam probauit, nihil à Senatu actum, quo vel minimum ampliſſima illius auctoritas, ac dignitas læderetur, extorres Patrum iuſſu minime exceptos, deſiſtere Petrum Comitem imperatum, ſed iam triremibus milites impoſitos fuiſſe, quos vna cum Sciar-

ra, ne illi dederent, publica religione, ac fide impediri, non enim æquum arbitrari, vt qui in ſinum Reipublicæ confugerant, turpiter deſererentur, ne eiuſmodi exempla omnes à nominibus in Venetorum militiam dandis deterrerent quid verò cauſæ eſſe, cur abſtractos à ſuis oris infeſtos homines conquereretur? nulla impenſa, nullo labore incruentam victoriam tuliſſe, æternumq; ablegaſſe, neque enim dubium fore, quin intra Liburniæ ſcopulos flexuoſoſq; Illyrici litorum anfractus, cum ferociſſimis hominibus depugnaturi, frequentibus, certiſſimiſq; vitæ periculis obiecti pœnas luant, mitigari his Clemens atq; ſatis ſuæ dignitati factum à Venetis exiſtimans, ſi in Petrum Comitem Præfectum aliquid ſtatuerent (eo enim potiſſimum ſuo decori conſuli rebatur) obnixè in ſpeciem pœna aliqua afficeretur, flagitabat: Venetias igitur regreſſo Donato cum Senatus adduci non poſſet, vt eum vlla ratione plecteret, quem egregie de Repub. meritum, neque quidquam deliquiſſe, reprehenderet, ac per aliquot dies diſſentientibus ſententijs actum eſſet, poſtremo Cephalenem per menſes aliquot Comitem ſecedere iuſſit, in Aſſo arce extruenda, opere iampridem incepto ſeſe illius exerceret induſtria. Erat tunc duobus afflicta bellis Chriſtiana Reſpublica, Gallico, & Pannonico: in Gallia iam Henrici virtus, ac fortitudo ſupergredi pericula, victorijſq; ſeſe efferre cœperat, vt iam debilitati, ac fracti hoſtes ſpei conceptæ culmine deturbarentur, quod eo magis accidit, cum ille catholicam religionem

pro-

profeſſus à Galliæ Epiſcopis intra D. Dionifij ædem ad ſacra receptus eſſet, cuius rei nuntius, cum Venetias allatus eſſet, binos legatos Vincentium Gradenicum, ac Ioannem Delfinum potentiſſimo Regi egregias victorias, ampliſſimiq; Regni ſucceſſionem gratulatum miſerunt; at in Pannonia excurſionibus mutuis turbatis inter Cæſarianos, ac Turcas finibus, tandem aperte bellum Amurathes Rodulpho indixerat, in quo vario euentu dimicatum: attraxerat id bellum vel ingenti de Turcarum robore ac virtute opinione hominum vel periculi magnitudine ex cunctis ferè Europæ regionibus claros militia viros, neque inter Chriſtianos Principes erat, qui ancipiti exitu in ſumma animi ſuſpenſione non verſaretur; Veneti in primis, qui latiſſimos fines cum Turcis habent, cum gentis potentiſſimæ vires, & copias imminere obiectoſq; illi patentes Carnorum aditus animaduerterent, per quos olim Barbari omnes ingreſſi circumiecta omnia ferro, igneq; depopulati, penitiora Italiæ loca inuaſerant; de quo ſæpius agitatum fuerat, munitiſſima nempe arce in Foro Iulio extruenda, Barbariſq; obijcienda denuo conſultari ceptum, ſed cum in grauiſſima re non eædem eſſent Patruum ſententiæ, Donatus Senatui ſuaſit, vt quamprimum munitionem excitari decerneret: quinq; viri in Carnos miſſi, qui opportunum locum deligerent deq; tota extruendi ratione ad Senatum referrent, fuere autem hi Leonardus ipſe Donatus, Marinus Grimanus, Zacharias Contarenus, Marcus Antonius Barbarus, Iacobus

Foſcarenus, nouæq; arcis propugnaculo non modo Venetorum ditionibus, ſed toti Italiæ futura fundamenta iacta: munitioni Palmæ à ſubiectis vicis nomen inditum, quæ modo in eam magnitudinem excreuit, vt inter præcipuas Europæ arces merito adnumeretur. Cæterum Amurathes, qui multa mente machinabatur in medio conatus ardore exceſſit è vita, eiq; Mehemetes filius eius nominis Secundus ſucceſſit, ad quem cum de more legatus à Senatu mittendus eſſet, qui ex Regnum gratularetur, & pacis leges, quæ inter Venetos, atq; Ottomanos Reges intercedunt, inſtauraret (quæ ſanè legatio præcipuis Senatoribus committi ſolet) ea Donato mandata eſt, ſed antequam diſcederet, cum Paſchalis Ciconia Princeps obijſſet, eiq; ſucceſſor deligendus eſſet, Procuratorijq; ordinis ciues petitores ſupremi faſtigij eſſe conſueuiſſent, petere Donatus Principatum inſtituit, ad quē præter cæteros Iacobus Foſcarenus, & Marinus Grimanus nitebantur, quorum ille Illyrici legatione, imperatoria claſsis dignitate, quam bis ſuſtinuerat, altera Turcico bello anno 1572. altera 1596. ac demum ſummo Cretæ imperio inſignis, hic vero magiſtratibus domi, foriſq; geſtis, ac præcipue gratia apud omnes clarus erat, Donatus verò eximia prudentia, eloquentia, apud pleroſq; Reges, ac Principes legationibus in ſummis, arduiſq; negotijs pertractandis, facilitate, dexteritate conſpicuus, ita ut difficulter agnoſceres, in quem ſummus iſtæ honor incumberet, inde fiebat, vt cum per dies aliquot

quot

quot electio traheretur collegij Patres publico Decreto vnum ac quadraginta viros, penes quos Principis electio eſt, grauiter hortarentur, atq; etiam vrgerent, ne diutius Ciuitatem ſuſpenſam Principis electione tenerent, ne-ve inde aliquid incommodi ad Rempublicam prouenire paterentur, in ea multiplici ac ſinuoſa comitiorum ſorte atq; electione permixtorum ratione, competitoribus reliquis maior ſuffragiorum pars Donato obuenerat, quæ vti alios à culmine adipiſcendo auerteret, ita ad illud conſequendum ſibi minime ſufficeret, qui enim pauciora ſuffragijs quinque, ac viginti tulerit, Princeps renunciari non poteſt, obſtinata itaq; ſuffragantium conſtantia, cum nemo metam attingeret; Donatus ad ſuos conuerſus, ne cunctarentur inquit; Reipublicæ Principem date, ne-ve magis priuatis ſuis, quam Publicis rationibus conſulerent, illorum iam fidem, beneuolentiam, contentionem ſatis expertum, an verò pertinaci animo, grauiſſimis patriæ negotijs offici oportere, cum ipſe, qui in commune bonum oculos, mentemq; ſemper defixiſſet ſuam, modo cupiditate aliqua tranſuerſus abriperetur; irent, quodq; fauſtum, ac felix foret, Principem, quem vellent, quemq; magis opportunum ſenſerent, renuntiarent; his dictis ad ſuffragia non ſemel itum, tandem Principis dignitas Grimano collata eſt; Donatus verò Byzantij legationem obiturus, cum terreſtria itinera obſeſſa Pannonico bello, parumque tuta eſſent, mari iter arripuit, triremibus ad Burum Thraciæ oppidum delatus,

reliquum

reliquum iter terra confecit, perhonorificeq; acceptus vna cum Marco Venerio ordinario Legato ad Regem adijt breuiq; oratione Imperium gratulatus, mox pacem ijs, quibus antea legibus cum Selymo ſancita fuerat, confirmauit. Quæ in id tempus ferè incidere, quo Henricus Galliæ Rex multis ſubnixus victorijs Clementi Summo Pontifici reconciliatus Catholicorum cętui adiunctus fuerat, belliq; tantum reliquiæ conficiendæ ſupererant, iamq; pax inter Philippum Hiſpaniæ Regem, atq; Henricum ipſum agitari cęperat, in quam eo magis Philippi inclinabat animus, quod ſenio confectus, ægritudinibuſq; maceratus haud procul letho ſe abeſſe cognoſceret; itaque Veruini M D I I C. poſt diutina, quæ in Gallia bella geſta fuerant, concordia inter Reges ſubſecuta eſt, licet nondum omnium diſſidiorum cauſæ penitus amotæ fuiſſent, vigebant namquè inter Henricum, & Carolum Emanuelem Allobrogum Ducem de Salaſſijs controuerſiæ, quos ille Henrico I I I. adhuc viuente occupauerat, de quibus componendis cum actum eſſet, ſuborientibuſq; ſemper nouis difficultatibus rei exitus non inueniretùr, ne diutius obtineri ab Allobroge Salaſſios Henricus ſineret, quos ſub Gallorum Imperio fuiſſe conſtabat, arma in Carolum mouit, ac momento fere Allobrogum prouinciam occupauit, indeque per Alpes in Italiam transgredi Salaſſiorumq; regionem vi ſubigere ſtatuit: hoc præpotentiſſimo Regis conſilio audito, Clemens Pontifex, qui pro Italiæ pace ſedulo excubabat, veritus,

ne,

Digitized by Google

ne, ſi Galli in hanc prouinciam deſcenderent ingenti flamma cuncta corriperentur, Petrum Aldobrandinum nepotem ad Henricum, ac Carolum miſit, vt arma ſiſtere controuerſias tollere, pacem componere quacumq; ratione niteretur; quod ille ſane adeo prudenter, feliciterq; confecit, vt momento ferè ſedatis tempeſtatibus omnia pacata, atq; tranquilla redderentur; nam cum Seguſios, retentis Salaßijs, Henrico Carolus ceßiſſet, pax inter illos ſancita eſt, qua eo anno, qui fuit M D C I. vix conſtituta haud leuis ſuſpicio pleroſq; Italorum Principum animos ſubijt, ne Hiſpani, qui triginta peditum, ac quatuor circiter equitum millia in Inſubribus coegerant, nouas res moliri, pacemq; Italiæ turbare vellent, Reipublicæ etſi nullæ ei diſſidiorum cauſæ cum Philippo III. erant attamen cum tot copias ſuis finibus imminere Patres animaduerterent, delectum habere, finitimas, in Inſubribus arces, atq; oppida communire, acriores cuſtodias adhibere cęperunt, legatumq; cum ſummo Imperio in Continentem mittere decreuere, Leonardumq; Donatum delegere, qui ſtatim profectus ſummo ſtudio, ac diligentia Vrbes, munitioneſq; inuiſere, opportunis ſtationibus milites diſponere, cuncta ita ex ordine componere cępit, vt egregie ad omnem impetum excipiendum omnibus comparatis, alacri præſertim ſubiectorum ſtudio, ac voluntate, nullæ Venetæ ditiones detrimentum paſſuræ viderentur; quoniam verò rumor apud pleroſque increbuerat, bellicos Hiſpanorum apparatus in Ferdinandum

Magnum

Magnum Hetruriæ Ducem dirigi, qui Henricum Galliæ Regem eorum infenſiſſimum hoſtem pecunia, armis, conſilio iuſſiſſet, omnem ei opem atq; auxilium Veneti pollicebantur. Si hoſtilia in quempiam Italorum Principum Hiſpani molirentur, ad Venetos detrimentum, & cladem peruenturam rati; ſed Philippus, vel quod Italiæ ſtatum, cuius præclaram, opimamq; partem obtinebat, turbari ſibi minime conducere arbitraretur, vel quod imparatos Principes offendere non potuiſſet, vel quod & verius creditum eſt, cuncti conatus in Galliam deſtinati irrito euentu ceſſiſſent, copias dimitti iuſsit, quarum partem in Belgium, in quo perpetuis prelijs multis ab inde annis certabatur, tranſmiſit, partem ad Caniſium Pannoniæ oppidum, quod ſuperiore anno Turcæ occupauerant, oppugnandum proficiſci iuſsit, itaq; belli ſuſpicione depulſa cum Donatus laborum aſsiduitate in morbum incidiſſet, reditum à Senatu in Patriam impetrauit, atq; ex eo tempore vſque ad Principatum domi conſulendo, ſæpius in Senatu orando, grauiſsima quæq; negotia pertractando Reipub. operam nauauit: idq; tanta aſsiduitate, ſtudio, animi contentione, vt nullis laboribus frangi, neque ſenectuti ipſa admodum prouecta debilitari videretur, neq; vox, neq; latera, neque corporis, mentiſq; vigor, quæ ſecum ætas rapere ſolet, deficerent: erat eius oratio dilucida, grauibus, & proprijs, verbis contexta, non floſculis elaborata, ſententiarum pondere inſignis, enthymemate atq; exemplo, quæ propria ſuadentium

arma

arma ſunt, vtebatur, ac ſi quando in aliquod argumentum incidiſſet, quo, veluti cardine eius ſententia niteretur, ſepius illud retractando, alijs atque alijs verbis enunciando, ita patrum animis imprimere conabatur, vt non affectu ſed rationum vi illorum animos pertraheret, id verò frequenter ſermonibus vſurpare ſolebat, curam hanc pręconſultoribus atque ijs, qui ex ſuggeſtu in Senatu ſententiam dicturi ſunt, eſſe oportere, vt non communibus quibuſdam capitibus, rerumque generibus contenti eßent, ſed ſingularia negotiorum inquirerent, atque optime callerent, eo enim fieri, vt apte dicere, & commode ſuadere poſſent, ridendos illos, qui inaniter tempus in verbis eligendis inſumunt, verba rem non inuitam ſequi, in eo ſe quidem maximam ſemper operam adhibuiße, vt diſcuſſa, de qua agebatur, re, ſucco inde veluti quodam elaborato, pectus impleret, mox ad dicendum accederet; id vt facilius efficeret, quæ agitabantur, negotia in diurnos commentarios redigebat, ex quibus, veluti ex ingenti ſylua infinitam propè exemplorum atque argumentorum copiam eligebat. Illud verò in primis Pręconſultori conſtituendum, ſingulis expenſis, ac libratis, eſſe affirmabat, vt in rebus dubijs, quam ſententiam amplecteretur, ſecum ipſe deliberaret, à qua niſi certiſſimis rationibus victus decederet, non gratia, non rumore vulgi, non audientium in contrariam partem inclinatione, ac propenſione dimoueretur, plerunque enim contingere, vt niſi qui clauum tenent, ac gubernaculis

E *pręſunt*

præſunt, conſtanter publicam vtilitatem protegant ſenſim Rempublicam in ſumma pericula præcipitent. Cauendum quoque, ne, cum auditore vel ira concitato, vel dolore perculſo, vel ſpe nimia erecto, vel metu conſternato ageretur, nihil enim ad conſilia grauiſſimis de rebus capienda magis, quàm affectus officere, ac ſi quando contingat, vt omnino decernendum ſit, non illico, atque extempore, ſed mora aliqua iniecta, qua ſedari animus queat, efficiendum; peritos medicos imitando, qui ingraueſcente, atq; ægros acerbius agitante morbo à pharmacis, aliiſque remedijs abſtinent, Solis imaginem, turbata aqua, inſpici non poſſe, veritatis fulgorem mente æſtu agitata, ac turbida minime dignoſci. Cęterum Clemente Octauo Pontifice mortuo, cum ei Scipio Borgheſius Pauli V. nomine aßumpto, anno M. D. C. V. ad Pontificatum fuiſſet euectus, contentiones inter Pontificem, ac Rempublicam ſunt exortę, quo circa Senatus vt nexus cum Pontificibus; quo Italię libertas ac decus ſtaret, nullo vnquam caſu laxaretur, ac perilluſtri aliquo argumento ſuam obſeruantiam ſignificaret, Leonardum Donatum, licet confecta ætate delegit, ſed antequam itineri ſe committeret (anni enim tempus hyemis frigoribus incommodum ad iter faciendum erat) Marinus Grimanus Princeps ex humanis exceſſit, iuſtis de more defuncto habitis, comitia pro ſucceſſore diligendo indicta ſunt, neque erat, qui non ampliſſimam dignitatem Donato merito deferendam arbitraretur; itaque ſumma Patrum approbatione

om-

omniumque ordinum Ciuitatis plauſu IV. Idus Ianuarij Princ. nunciatus, poſtera die inauguratus eſt, atque in Baſilica aurea ex ſuggeſtu de more orationem ad populum habuit, quà pacem, iuſtitiam, affluentiam, publicam libertatem ac dignitatem totis animi viribus ingenijque neruis amaturum, curaturum, defenſurumq; pollicitus eſt. Principatus Donati compoſitis cum Pontifice diſſidijs, de quibus non eſt hic locus, tranquillus, ac pacatus extitit, quem aſſiduitate, diligentia, conſilio ita geſſit, vt numeros omnes impleuiſſe viſus ſit. Eſt ſanè apud Venetos pręcellens atque ſuprema Principis dignitas, quæ licet priſcis temporibus non minus dignitate ampliſſima, quam auctoritate latiſſima extiterit, Eam tamen prudentiſſimi Ciues, qui temporum ſucceſſu Rempublicam adminiſtrarunt, legibus multis pręcinctam, ac circum vallatam eſſe voluerunt, pręclara inſignia, eximios titulos, pompam, ei, qui caput ac Princeps Reipublicę maieſtatem pręſeferret, auctoritatis verò tantum, quantum ad reliquos magiſtratus in officio continendos ſufficeret, omnibus obſeratis aditibus, quibus excreſcere, vel ad inuidiam vel ad perniciem poſſet, reliquerunt: itaque Princeps omnibus Conſilijs pręeſt, conſulendi decernendi, ac de re qualibet referendi ius habet, cogere conſilia, cunctos ad ſua munera obeunda excitare, vt iure merito ad clauum Reipublicę, veluti peritiſſimus Nauta ſedere dici poßit, ac ſanè quemadmodum peritus nauta alijs vela explicantibus, alijs remos impellentibus, alijs per tran-

Digitized by Google

ſtra, ac foros diſcurſantibus, immotus, atque aliud agens ſtare, aut ſedere videatur, attamen eius nutu nauis ipſa mouetur, dirigitur, ſulcat maria, legit litora, portum tenet; ita Principis Viri virtus, auctoritas, conſilium, eloquentia Rempublicam, vel in tuta ſtatione retinet, vel in mari abreptam fluctibus, tempeſtatibuſque ſęuientibus, quantum in ipſo eſt, ne in immanes ſcopulos impingat, adnititur. Nulla vnquam dies fuit, qua Donatus vel Patrum Collegio, quod ſingulis diebus mane cogitur, vel maioribus Comitijs, aut Decemuiris, aut Senatui non intereſſet, niſi forte valetudine impediretur: in Patrum Collegio cum grauiſſimis de rebus conſultationes haberentur, ſententiam miro ordine exquiſitis rationum momentis dicebat; in Senatu (id quod per rarò ab alijs factum eſt) frequenter verba habebat, ſuadebat in ſolio ſedens, ſumma facundia orabat, & quoniam ex veteri inſtituto ſi quid cum Principum Oratoribus agendum, pertractandum, reſpondendum ſit, omnia Senatu Conſulto ſcriptis excipiuntur, atque accerſitis in Patrum Collegio recitantur, ſępe ſi occaſio tuliſſet ſermone rei, ac negotio accomodato ita Princeps ſubſequebatur, vt nihil vel perfectius, vel abſolutius excogitari, ne dum dici poſſet, iam verò ſi, vt euenit, vel gratiæ habendæ, gratulandum, dolendum, exhibendum quid eſſet, adeo tempori, loco hærebat; decoris, grauitatis etiam venuſtatis plena illius erat oratio, vt omnes affectus induere, nunquam ſemota dignitate videretur. Neque

verò

verò quis exiſtimet, me quidquam aut fucati, aut picti hic affingere, nullus profectò aßentationi locus apud me eſt, omnes, qui viuunt, hæc ita ſe habere, atque ampliora eſſe non ignorant; vidi ego, auribus hauſi, mente inſpexi; neque pati æquo animo potui, vt tanti viri memoriam vetuſtas obliteraret, idque non ſcriptis tribuo meis, ſed excellenti virtuti, quæ nullatenus, vel denſiſſimis tenebris obſcurari, aut imminui poterit, licet illud ſilentio vel dolens pręterire nequeam, clarorum virorum geſta, pręſtantem in omni genere laudum, eximiamque virtutem, non dicam annorum, ſed menſium ſpatio ex mentibus hominum excidere, ſępiſſime animaduertere ſolitum, quaſi excelſa turris graui aliquo caſu diruta collaberetur. At Donatus ijs rebus, quas ſupra memorauimus cum toto pectore incumberet, afflictari interdum corporis valetudine cruribuſque laborare cępit, ex eoque potiſſimum id vitij contraxit, quod intra palatij ſepta, aſſiduis laboribus, fractus corporis exercendi omnis illi facultas eriperetur; aßueuerat motu, agitatione, deambulationibus, quandoque extra Vrbem itineribus inſitum vigorem artuum ſeruare, atque augere; inde perfecta ſanitate, nullis ægritudinibus obnoxius vtebatur. At poſtquam graue principatus onus ſubijt, viuendique rationem immutauit, paulatim priſtinum robur labefactari, atq; imminui cępit, quod ſane ille futurum multò ante pędixerat, ſed vna tantum re vehementer angebatur, quod à magnis ſolicitudinibus reuocare ani-

mum, laxiuſque aliquando ſummi Magiſtratus munera obire cogeretur, quapropter de ſe à Principatu abdicando cogitabat, neque enim, qui in omni vita publicis rebus tractandis diligens fuerat, contineri ſe intra domeſticos parietes, ſępiuſque à collegijs, & conſilijs abſtinere, æquo animo patiebatur. Verum non ita facile, quòd mente agitabat, perfici poterat, legimus quidem priſcorum illorum temporum Principes pergraui Rempublicam adminiſtrandi onere preſſos, caducarumque rerum ſatietate defeſſos cum ſupremo ſe magiſtratu abdicaſſent, vel in ſolitudinem ſeceſſiße, vel religioſum vitæ inſtitutum, cęnobiticamque vitam ſuſcepiße, & hæc nimium remota, famaq; ac ſcriptis poſt multorum ſeculorum memoriam ad nos relata ſunt. Franciſcum vero Foſcarum anno 1457. *cum per quinque, ac triginta fermè annos Principem geſſiſſet dignitatem, quod effeta, extremaq; ſenecta implere munera publica non poßet, Decemuirum hortatu ad priuatam redire vitam impulſum, è publicis ad ſuas ædes migrantem in limine oppreſſum atq; exſtinctum fuiße, quem euentum ita ægre Ciuitas tulit, vt ex inde lata lex ſit, qua de Principatus legibus, deque Ducis ſacramento ſtatuendi, aut decernendi facultas Decemuiris eſt adempta. Cęterum Donatus infirma licet valetudine, excellenti virtute, ac vigore animi corporis imbecillitatem vincere nitebatur, neque vel cognatorum, vel amicorum ſuaſionibus adduci poterat, vt à moleſtijs animum abducendo ſaluti conſuleret, itaque cum xviij.*

Kal.

Digitized by Google

Kal. Auguſti in Patrum collegio vehementius, ac prout res exigebat, concitatius mane ſententiam dixiſset, Senatoribuſque dimiſſis in ſecretius cubiculum ſeruis, domeſticiſque faceſsere iuſſis ſeceſſiſſet, deliquio animi repente correptus, exceſſit; motu quem eo caſu accidere neceſse erat, exciti domeſtici, accurrere, iacentem exanimem inuenere, neque hic prętermittendum eſt, quod ab eius pernéceſſario pro certo accepi, ſuauiſſimum quendam odorem ex defuncto, ac iacente corpore ſtatim emanaſſe, quo repente totum cubiculum repletum eſt; id ne humorum æquabili temperamento, ac ſymmetriæ, vel ſuperiori cauſæ (huiuſmodi enim in magnis viris contigiſse legimus) tribuendum ſit, non affirmauerim. Erat Donatus altiore corporis forma, ſed quæ ingraueſcente ætate, ſenectaq; adueniente incurueſcere cępit, totius oris aſpectus grauis in ſeueritatem propendens, viuidis, ac ſcintillantibus oculis, qui ingenij velocitatem, mentiſque acumen patefaceret, grauitas comitati non oberat, benignitate enim, atque humanitate eximia, facile ſibi omnium amorem conciliabat, nil in eo elatum, aut ſuperbum, ſed infimis æque, ac maioribus ſine decoris detrimento blandus, ac comis, licet nō defuerint (ſumma enim petit liuor) qui obijcerent, quod Imperij arcana, ac leges nonnunquam religioni anteferret, ac πολιτικώτερος, quàm fortè decebat, eſſet, erant hæc inuidorum, ac maleuolorum hominum cogitata, atque inuenta, qui cum pręſtantem virum nulla in re merito carpere poſſent, eximium in

Patriam

Patriam amorem, religionis obtentu, vitio vertebant: fuit ſane Donatus eximia in Deum pietate, obſeruantiſſimuſque Catholicę religionis cultor, nullum ex eo verbum niſi probitatis plenum, frequenter exomologeſi animum expiare, cęleſti pane reficere, indicta ieiunia ſeruare atque alia Chriſtiana officia ſolerter obire, cum religionis ſtudio charitatem in patriam diſſociabili vinculo coniungebat. Patriam conſilio, verbis, opere, iuuare, extollere, amplificare, à religione diſſonum non eſſe arbitrabatur, iis, qui Patriam ſeruarint, auxerint, conſtitutum in Cęlo locum putare, Ethnicis ſanè, ac, Romanis in primis, vt reliquos prętermittam in hoc genere laudis excelluiſſe compertum eſt, nullique ſecundum Deum, in cuius manu excelſa omnia iura Regnorum ſita ſunt, quam eximio in Patriam amori, Imperij incrementa, orbiſque dominatum accepta retulere, referam ne Regulum, Scauros, animęque magnę prodigum Paulum ſuperante Pęno, Camillum, Fabritium, Scipiones, atque alios? At in ſacris literis, cur Machabeorum fortitudo, ac virtus tantopere extollitur? niſi quia incredibili amore in Patriam exarſerunt, acriter dimicarunt, nullis periculis, ac laboribus victi ceſſere, cum Romanis ad mutuam Imperij tuitionem fędus ſanxere, ac potius quam Patriam paternaſque leges deſererent atrociſſimas pęnas ſubire, torqueri, lacerari, occumbere, maluere; quorum ſanè egregia facta B. Ambroſius Eccleſiæ lumen diuinis pręconijs in libris de Officijs ad ſydera euexit; ſed fortaſſe, iam me longius

orationis

Digitized by Google

orationis fluxus prouexit. Obiecere alij Donato, quod parcus, nimiumque arcta vteretur viuendi ratione, ſed quemadmodum illud negari non poteſt, potius ex ſolida virtutis ſpecie, quam ex fucata ſplendoris oſtentatione aditum ſibi ad gloriam Donatum aperuiſſe, ita id certum eſt auream mediocritatem vehementer adamaſſe, atque ad publicum decus ſeruandum, nihil, quod in rem eſſet, prętermiſiſſe; id verò frequenter vſurpare ſolitus erat, eos ſe magnifacere, atque æſtimare plurimum qui paruo multa, non qui multis multa facerent, eandemque non modo in priuatis, ſed in ijs, quæ ad Rempublicam ſpectant, rationem ſeruauit, nam vt immoderatis ſumptibus abſtinendo, ærarium augeretur, ſedulo curabat, publicis diuitijs, pacis ornamenta, belliquè ſubſidia contineri ratus, in luxum, pompas immodicas, ſuperuacaneis in rebus impenſas ſępe inuehebatur. Sciebat prudentiſſimus vir nullo magis robur, virtutemque ciuium quam viuendi laxitate, libidine, opiparis cęnis, alijſque delicijs hebetari, atque eneruari. Romanos pacis, belliqueſtudijs mortales omnes ſupergreſſos non alio, quàm luxu nimio concidiſſe, plus ex Aſiæ illecebris damni, quam ex partis inde triumphis gloriæ retuliſſe: imperia ijs artibus contineri, quibus ab initio parta ſunt: maiores noſtros modeſtia, frugalitate, moderatione Rempublicam ad ſummam felicitatem prouexiſſe; quæ ſanè egregia pręcepta vtinam omnium animis inſiderent, neque à maiorum ſeueritate mores noſtri deſciuiſſent, nulla enim maior rebus publi-

cis,

cis, & exitialior peſtis, quàm peregrinorum inſtitutorum inuentio, veterumq; immutatio. Hæc Donati erant conſilia, quibus Rempublicam æternam conſeruari poſſe affirmabat, vt aliquod ſui apud poſteros monumentum relinqueret, quo generoſi illius animi magnitudo oſtenderetur, è Cruciferorum templi regione à fundamentis magnificentiſſimas ædes viuens excitari voluit. in oppoſitos Carnorum montes, maritimoq; proſpectu longe pulcherrimas. Supremis tabulis in pernobili Diui Georgij Maioris Baſilica ſe condi mandauit: Mauſoleum in muri, quà in Eccleſiam aditus patet, interiori latere loco eminentiori ſui extrui curauere. Vixit Ann. LXXVII. Menſes V. Dies V. Obijt anno M. DC. XIII.

F I N I S.

Digitized by Google

Pag.	*lin.*	*Errata*	*Correctiones.*
1	6	extererint	extiterint
5	13	non vlla	nonnulla
ibid.	16	ſtoicis	ſtoici
8	vlt.	comptaq; ore	comptoq; ore
14	6	cuſpicio	ſuſpicio
32	3	iuſſiſſet	iuuiſſet
ibid.	22	ſenectuti ipſa	ſenectute ipſa
39	18	patefaceret	patefacerent

BIBLIOTECA
4
VIT